lent. nie obcinać!

REFUTATIO THESIUM

ALBERTI GRAWERI SS. Theolog: D., & in Academia Salana Professoris publici,

Quibus

INCARNATIONEM ÆTERNI DEI FILII
ab impugnationibus nostrarum Ecclesiarum
vindicare voluit.

Autore
VALENTINO SMALCIO GOTHANO,
Cœtus Racoviensis Ministro.

RACOVIÆ,
Typis Sternacianis,
Anni 1615.

REFUTATIO THESIUM
De Incarnatione FILII DEI, D. ALBERTI GRAVVERI.

INCARNATIONEM Filii Dei, dogma in Christiana religione omnium ferè monstrosissimum, stabilire conatus est D. Gravverus, loco 1. Timoth: 3. 16. qui talis est: *Citra controversiam magnum est illud pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, visus est Angelis, prædicatus est gentibus, creditum (illi) est in mundo, receptus est in gloria.* Hoc quàm feliciter illi successerit, breviter nunc dispiciemus, sensum, quem illis verbis Apostoli subesse credit Gravverus, refutaturi, & nostram eorundem verborum explicationem defensuri.

Thesi 2. ait D. Gravverus: *Quis ignorat, hunc articulum esse proram & puppim salutis nostræ? fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Non est in alio quoquam salus.* Hîc duplex error est, isque gravissimus uterque. Vnus in thesi, alter in probatione illius. Error thesis hinc apparet, quòd, quicquid ad salutem necessarium est absolutè, id ῥητῶς in sacris literis contineri, necesse sit. Quomodo enim omnes id intelligere & credere possent, præsertim rudiores, quorum semper major fuit numerus in Christi ecclesia, juxta illud Pauli, *Videte, fratres, vocationem vestram, quòd non multi sapientes secundùm carnem, &c.* quod ῥητῶς scriptum non extaret, & ex deductionibus solis penderet? Vnde constat, tantò magis id requiri in dogmate, quod non tantùm necessarium est ad salutem, sed, ut ait D. Gravverus, prora & puppis nostræ salutis. At nullibi extare ῥητῶς scriptum: Æternum filium Dei incarnatum esse, vel Deum esse hominem factum, tum hactenus a nobis fusè demonstratum est, tum hæc ipsa disputatio satis evidenter docet. Itaque si verum esset illud dogma, & justis consequentiis ex sacris literis demonstrari posset, inter utilia tantùm vel utilissima ad salutem dogmata recensendum: nemo tamen ideo damnandus vel ab ecclesia arcendus esset, quòd dogma illud non approbaret. Alter error Gravveri prioris quædam demonstratio est. Nam loco ejus, quod probandum susceperat, incarnationem æterni Dei filii esse proram & puppim salutis nostræ, probat, non esse aliud fundamentum preter Iesum Christum, nec in alio quoquam salutem. Quasi scilicet credere quis non possit hoc utrumque, quod disertè testatur sacra scriptura, etiamsi dogma illud absurdum non admittat. Credimus Gravvere, nullum esse fundamentum salutis præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus:

1 Cor: 3. 11. Act: 4. 12.

Ad salutem necessaria, in sacris literis ad literam sunt expressa.

Christus est fundamentum salutis: sed non quævis de eo sententia.

 stus:

Con. Incarn-

stus: Credimus etiam, in nemine alio esse salutem: Sed istam vestram de fundamento illo opinionem indignam judicamus, quæ in vera Christi ecclesia locum habeat, nedum ut fundamentum salutis eam censeamus. Imò dogma de Incarnatione æterni filii Dei, ad fundamentum hoc, quod est Iesus Christus, evertendum, aptissimum & accommodatissimum esse, si vis illius expendatur, dicere non dubitamus. Nam si æternus Dei filius incarnatus est, sequitur, eum antea re ipsa extitisse & personam fuisse, quàm incarnaretur. Persona enim tantùm incarnari potest. Si antea extitit & persona fuit, filius Dei, quid, quæso, operâ Spiritus sancti in utero virginis conceptum fuit & natum? Certè non persona, jam enim essent duæ personæ & duo Dei filii. Si persona non est nata ex virgine Maria, quomodo homo dici meretur, id quod ex ea natum est? cùm homo nemo appellari possit, qui persona humana non sit. Homo enim personâ suâ, & nulla alia re, homo est. Si homo ex virgine Maria natus non est, quomodo scriptura falsi non accusatur? Quomodo tacitè non negatur, Iesum Christum esse fundamentum salutis nostræ? Homo enim Iesus Christus disertissimè mediator Dei & hominum appellatur, & per hominem resurrectio esse dicitur. Sed quia Deus non permisit hactenus, ut dogma hoc vim suam exereret: docere enim annituntur adversarii, licet valdè ineptè, Christum, etiamsi nec persona humana, nec perfectus homo sit, esse tamen hominem, ideò nos rigidè cum illis non agimus, & fundamentum salutis ab illis tolli non dicimus, sed errorem tantùm crassum hunc detegere pro virili studemus.

Incarnationis dogma, quomodo fundamentum salutis tollat.

1. Tim: 2. 5.
1. Cor: 15. 21.

Thesi secundæ similis est tertia: *Si igitur hîc aberraverimus, actum est de salute nostra. Nemo enim ad Patrem pervenire potest, nisi per filium, Et qui negat Filium, is nec Patrem habet.* Diversa enim sunt, Filius Dei, & Incarnatus æternus Dei filius; & pervenire is potest per filium ad Patrem, qui non credit, æternum Dei filium incarnatum esse: imò multò expeditiùs ad Patrem pervenire is potest, qui id non credit, quàm, qui dogmate isto fascinatus est. Nam sententia, quæ nullum alium filium Dei, præter & ante Iesum hominem natum ex virgine confitetur, viam salutis & ipsam salutem ad oculum quasi depictam ostendit, dum eam in nostra nobis natura conspiciendam præbet: Opinio verò, quæ alium filium Dei, præter & ante Iesum ex virgine natum, fingit, totum hoc mirificè obscurat & intricat. Quantum enim natura humana in Christo præbet consolationis & spei: tantum divina cum ea conjuncta detrahit. Non negat autem filium Dei, qui negat incarnationem æterni Dei filii, sed hominum circa Dei filium commentum rejicit: imò, ut antea dictum est, si quis rem penitiùs consi-

Ioh: 14. 6.
1 Ioh: 2. 23.

Quo præstet nostra sententia de filio Dei, sententiæ adversariorum.

consideret, & rigidè urgere velit, ii filium negare,dici quodammodo possunt,qui æternum illum esse asserunt.

Thesi 6. ait, *neminem ferè hactenus fuiße, qui hunc locum* 1 *Tim:*3. *non de Christo & Filii Dei incarnatione accipiendum eße firmiter crediderit.* Sed & hoc totum irritum est. Nam si antiquitas vocem istam *Deus*,in illis verbis prorsus non agnovit,ut ex vulgata versione constat, (hæc autem tantæ fuit seculis præteritis apud Pontificios autoritatis, ut sola quodammodo obtineret, & ipsis etiam fontibus præferretur) quomodo dici potest, verba illa de Christo & incarnatione filii Dei ab omnibus accepta fuisse? Iam si nemo *ferè* fuit,qui locum illum nō de Incarnatione intelligeret,ipso Gravvero teste,fuerunt fortasse aliqui.Quorsum igitur ista diversum sentientium allegatur multitudo? Nec enim numero,sed pondere res divinæ examinandæ sunt. Sed quid tandem est in eo roboris, etiamsi nemo hactenus per non pauca secula aliter locum illum intellexerit? Nonné idem Pontificii Evangelicis sæpissimè objectant de multis dogmatibus & locis sacrarum literarum,in quibus ab illis dissident, nec tamen id vel curant Evangelici,vel ut curent,necesse est?

Locus 1. Tim. 3. suspectus.

Quid curandum in religione.

Thesi 9. adversus nos, qui locum illum de Christo accipiendum esse negamus,priusquam ad rem accedat,sic argumentatur: *Quicunque in novo Testamento ita Deus appellatur, ut absolutè subjecti locum in enunciatione obtineat,is est verus & æternus Deus. Atqui Christus in novo Testamento ita Deus appellatur,ut absolutè subjecti locum obtineat. Ergo Christus est verus & æternus Deus.* Majorem concedimus: minorem negamus.Gravverus ait,*Ecclesias suas inter alia etiam testimonio hoc Paulino illam probare: Nos verò nihil habere,quod excipiamus, nisi negando, hunc locum de Christo accipiendum eße.*Sed quomodo loco controverso potest dirimi controversia? Quæritur,an hîc sit sermo de Christo? Quomodo igitur hoc loco probari potest, Christo, vocem *Dei*, cùm subjecti locum obtinet,tribui? Certè satis esse, nos istud negare, eruditi intelligunt. Gravvero autem locus talis afferendus erat, in quo,extra omnem controversiam,vox *Dei*, cùm subjecti locum habet, Christo tribuatur, si inde evincere velit,eum esse Deum æternum.Ita succumbens in ipso certaminis initio Gravverus, probatione minoris suæ omissa, ad ea, quæ nos de loco illo dicimus,refutanda progreditur,quo disputandi modo lectoribus indicato,in tanto Doctore, sequamur illum.

Dicimus, locum citatum nihil facere ad probandam incarnationem,quia nulla fiat mentio ullius personæ in vulgata lectione. Excipit Gravverus,vulgatam sibi non fuisse objiciendam.Agnosco.Sed licuisse

cuisse eam nobis objicere, ii agnoscent, qui considerabunt, nobis hactenus cùm Pontificiis & Iesuitis potissimùm rem fuisse: Imò, adversus alios etiam urgeri eam posse, statuimus. Nam ex locis, quorum varia est lectio, nihil certi concludi posse, verius est, quàm ut probari debeat. Et sanè non sine gravi causa in exemplaribus antiquis tàm constanter vox *Deus* omissa fuit, præsertim si, dogma illud incarnationis ex isto loco demonstrari posse, creditum fuit. Vnde magnus ille Erasmus dicere non dubitavit, subolere sibi, vocem hanc fuisse additam adversus hæreticos Arianos. Sed præterea Gravverus ait thesi 14: *Licet expreßa Christi mentio non fiat, tamen ex attributis Christum intelligi apparet.* Hoc verò ut non probavit Gravverus, sic jure rejici potest. Incertum autem esse hinc constat, quòd de mysterio pietatis ista omnia intelligi posse, valdè sit obvium, quod etiam idem Erasmus sensit, sed parum sufficienter exposuit. Mysterium pietatis, quod est ipsa Christi sacrosancta religio, manifestatum est in carne, hoc est, per infirmitatem vel cum infirmitate, nempe Christi & Apostolorum: justificatum in spiritu, hoc est, pro vero agnitum per istam divinam virtutem, quæ tam in Christo quàm Apostolis relucebat: visum est Angelis, quatenus illis tunc demum innotuit, id quod Christi religio revelat: prædicatum est gentibus, scilicet extraneis. Nam hæ antea erant segregatæ a republica populi divini: creditum est in mundo, nempe tam inter Iudæos quàm inter gentes: receptum in gloria, hoc est, gloriosè admissum & exceptum.

Cur desit vox Deus in quibusdam exemplaribus.

Erasmi testimonium.

Sensus loci 1. Timoth: 3. omissa voce Dei.

Porrò admissa voce Deus, quia negamus de Christo sermonem esse, sed de Deo Patre illud intelligi posse asserimus, & explicationem nostram etiam sponte nostra afferimus, exagitat eam Graverus thesi 15. & sequentibus usq; ad 21. Hoc etiamsi ad propositum non faciat. nec enim nostrum est, locum explicare, sed satis est, negare, illum de Christo necessariò intelligendum esse: tamen veritatis dilucidandæ gratiâ id, quod de loco illo sentimus, breviter confirmabimus. Per vocem *Deum*, intelligi sæpissimè voluntatem divinam, nemo inficiabitur: imò cùm de cognitione vel visione Dei sermo est, de cognitione divinæ voluntatis sermonem esse plerunque, quivis, non oscitanter sacras literas legens, agnoscet. Vocem *Carnis*, significare homines infirmos & mortales pariter certum est, & confitetur Gravverus ipse thesi 30. Hinc illud, *omnis caro ut fœnum*, &c. *Quod natum est ex carne, caro est.* Quid igitur absurdi in eo est, si dicatur, Dei voluntatem esse manifestatam per homines infirmos & mortales, & hanc esse partem mysterii pietatis, vel Christianæ religionis?

Vox Deus, sæpe voluntatem divinam significat.

Caro quid significet.

Esa: 40. 6.
Joh: 3. 6.

Gravverus thesi 16. *nullo verbo*, ait, *confirmari per carnem hîc Apostolos*

ſtolos intelligi. Sed ſi vox *carnis* homines infirmos & mortales ſignificat, jam illud de Apoſtolis etiam, qui infirmi & mortales ſunt, prædicari poſſe, nemo non videt. Vnde etiam Apoſtolus de ſe & Apoſtolis aliis ait: *Habemus theſaurum hunc* (qui idem eſt cum myſterio pietatis) *in fictilibus vaſis*, (quæ idē ſunt quod caro.) Et paulò inferiùs ipſemet ait: *Semper nos viventes in mortem tradimur propter Ieſum, ut & vita Ieſu manifeſtetur in mortali carne noſtra.* Ait iterum Graverus, Paulum non dicere, carne vel per carnem, ſed *in carne*. Sed quid hîc roboris lateat, non explicat. Interim ſciat, *in carne*, idem eſſe poſſe quòd *per carnem*. Creberrimè enim vox ἐν pro διὰ accipitur.

2. Cor: 4. 7. 11.

De manifeſtatione porrò divinæ voluntatis ſermonem hîc non eſſe, probat hoc modo Gravverus theſi 18.: *Loquitur enim de ejusmodi manifeſtatione, quæ in novo Teſtamento fit ὁμολογουμένως magnū myſterium. At eo modo, quem adverſarii afferunt, Deus voluntatem ſuam in veteri Teſtamento per Prophetas patefecerat, quemadmodum clariſſimè colligitur ex locis Luc: 24. 26, 27, 46. Act: 26. 22.* At nos aſſumtionem hanc negamus prorſus. Diverſa enim voluntas fuit ea, quam ſub Evangelio Deus revelavit, ab ea, quam prophetæ revelârant. Quod ipſæ voces, *novum Fœdus*, ſatis ſuperque indicant. Nec aliud teſtantur loci allegati. Nam ex illis tantùm colligitur, ea, quæ ſub novo Teſtamento revelata ſunt, adumbrata quodammodo per Moſen & prophetas fuiſſe. Hæc verò adumbratio tantundem valuit, ac ſi nulla eſſet revelatio. Nemo enim illorum, qui tunc extabant, illa intellexit. Hinc D. Petrus ait, prophetas non ſibi ſed nobis miniſtraſſe, ea, quæ nunc nobis nunciata ſunt per eos, qui evangelizaverunt nobis in Spiritu ſancto miſſo de cælo.

Alia volūtas ſub novo Fœdere, quàm ſub veteri revelata fuit.

1. Pet: 1. 12.

Denique theſi 20. ſic ait: *Nullibi in tota ſcriptura ſacra occurrit locus, in quo de Deo Patre dicatur, quòd in carne ſe manifeſtaverit, aut quòd voluntatem ſuam de hominum ſalute in carne patefecerit, ut ita ſuam interpretationem ex ſcriptura docere nequeant. Nam nec Phraſis, nec contextus, nec collatio aliorum ſcripturæ dictorum adverſariis noſtris patrocinatur, aliud verò probandi interpretationem genus non datur.* Primùm inſufficiens probandi interpretationem aliquam, generum enumeratio iſta triplex cenſeri poteſt. Nam datur adhuc quartum, Analogia religionis, cum qua ſi interpretatio aliqua conveniat, vel ei non repugnet, pro vera proculdubio cenſenda eſt. Et hoc ſanè ſcripturas interpretandi genus non eſt poſtremum. Non pauca enim occurrunt in ſacris literis, quæ nulla ſimili locutione probari poſſunt, & tamen veriſſima eſſe, ob id ipſum ſana dictat ratio, quia in ſcripturis ſacris habeantur. Deinde falſum eſt, nullum ex illis tribus,

Genera interpretandi ſcripturas.

quæ

quæ Gravverus recenset, nobis patrocinari. Quid enim eo, quod nos dicimus, contextus magis suadere potest? Dixerat Apostolus, magnum sine controversia esse mysterium pietatis. Hoc ita in genere prolatum, declaraturus & per species explicaturus, ait primùm, Deum manifestatum esse in carne. Nonné verò insigne mysterium est, quòd tam perfecta voluntas Dei, qualis sub novo Testamento revelata est, per homines infirmos & mortales, contra quàm rationi humanæ videri poterat, revelata sit? Nonné hodie omnes id admiramur, quòd per Christum & Apostolos, homines afflictos, infirmos, & mille mortibus obnoxios, universus ferè mundus Evangelio credidit? Nonné etiam collatio aliorum scripturæ dictorum nobis patrocinatur, si, licet paulò aliis verbis, idem tamen valentibus, dicatur, quod suprà etiam annotavimus, Apostolum thesaurum Evangelii in vasis fictilibus habuisse: & fuisse apud Corinthios in infirmitate & in timore & tremore, & tamen prædicationem illius fuisse in ostensione spiritus & virtutis? Nonné porrò per Christum Pater manifestatus est vel nomen Patris? Certè sic Christus inquit: *Manifestavi nomen tuum hominibus*, &c. At Christus in carne venit, hoc est, circumdatus infirmitate. Ergo in carne, nempe Christi, Deus Pater vel nomen ejus manifestatum fuit. Phrasin denique nobis non patrocinari, nonnisi captiosè dici potest. Nam si constet vocem *Deus*, sæpe numero Dei voluntatem, carnem verò homines infirmos & mortales significare, parumné liquet, rectè dici, Deum tunc esse manifestatum in carne, quando voluntas ejus per homines infirmos & mortales revelata fuit?

2. Cor: 2. 3, 4.

hoc est

Ioh: 17. 6.
2. Ioh: 4. 2.

? Iudaeorum

Sed nunc suam interpretationem confirmat hoc pacto thesi 21. *Cuicunque aliàs in toto novo Testamento immediata manifestatio in carne tribuitur, is proculdubio etiam hîc intelligitur, inprimis cùm in textu nulla limitatio occurrat, per quam ulla diversitatis ratio demonstrari queat. Atqui aliàs in novo Testamento immediata manifestatio in carne tribuitur Filio, & non Patri. Ergo proculdubio hîc etiam Filius intelligitur.* Hoc syllogismo posito, Graverus prolixam minoris thesi 22, 23, 24, 25, probationem instituit, & ita, rem benè se confecisse, credit. Cur verò de majoris probatione non cogitavit etiam? Num principium aliquod est id, quod in ea dicitur, quod negare non liceat? Atqui ego dico, falsissimam esse istam majorem, & nullam prorsus ejus consequentiam: & Gravverum non possum non accusare, qui ita dormitârit, dum eam scriberet, ut nec uno eam verbo confirmaret. Nonné enim in aliis locis filio Dei manifestatio in carne immediata tribui potest: in hoc verò alii manifestatio mediata (ut sic cũ Gravvero lo-

ro loquar) præsertim, cùm argumenta sint firmissima, quæ non permittunt eum de filio accipi posse? Quorum unum est, quòd vox Deus, quando subjecti locum obtinet, ut hîc fit, nusquam certissimè & extra omnem controversiam filio tribuatur, Patri autem millies. 2. quòd Deus ille, qui in carne manifestatus fuit, dicitur receptus in gloria, postquam prædicatus fuit gentibus & creditum illi in mundo. Christus autem in gloria, vel, ut alii legunt, in gloriam sursum receptus fuit, antequam gentibus prædicaretur, de quo paulò pòst. Quanquam in probatione etiam minoris duplex inest vitium. Nam 1. verba Ioh: 1. 2. de Christo accipit, quæ de ipsa vita æterna intelligi posse, articulus neutrius generis *quod*, aliquoties iteratus, indicat: & ad figuras non esse recurrendum, nisi aliqua cogat necessitas, sobria Theologiæ regula est. Deinde errat, dum verba Rom: 8. 3. *quòd Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati*, alibi sic referri ait, Gal: 4. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Poterat enim Christus, qui ex muliere factus erat, mitti: nec tamen in similitudine carnis peccati, si Deus ita voluisset. Porrò frustra adducitur, quòd Christus sit manifestatus Israëli, Iohan: 1. 31. Nunc enim de manifestatione in carne sermo est: & Pater etiam manifestatus fuisse simpliciter legitur, Ioh: 17. 6. Christum verò etiam gloriam suam manifestasse, v: 14. cap: 1 Ioh: non dicitur, sed aliud, unde id colligi potest, ab Apostolo affirmatur. quod si valet, idem etiam de Patre facile ostendi potest. Nam & ejus gloriam alii viderunt. Illud nunc relinquo, quòd verba Ioh: 11. 40. Iohan: 1. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, huc etiam transfert, non quòd versionem Gravveri approbem, sed quòd, etiamsi ita convertantur verba ista, *& sermo caro fuit*, nihilominùs sequatur, Christum in carne manifestatum fuisse. Defendam tamen breviter hac occasione, tum nostram istorum verborum versionem, tum aliorum etiam, admissa vulgari versione, eorumdem verborum interpretationem.

Versio nostra est, *Et Sermo caro fuit*: interpretatio aliorum, nempe ex nostris, est: Filius Dei, qui fuit Deus ob munus, factus est humilis & abjectus, quando passus est. Quemadmodum etiam dicitur alibi, Christum, qui in forma Dei fuit, assumsisse formam servi; &, cùm di- Phil: 2. 6. ves esset, pauperem esse factum. Versionem impugnat Graverus the- 2. Cor: 8. 9. si 29, ubi fatetur, vocem ἐγένετο, posse per fuit converti, semper autem hanc vocem ita reddi debere falsum esse, docet exemplis allatis Ioh: 1. 3. & 2. 9. & aliis. Thesi porrò 30. concedit etiam vocem *carnis* non rarò idem significare, quòd rem humilem & abjectam, semper autem ita usurpari negat, sed quandoq; pro homine toto synec-

dochicè accipi docet,& tandem thesi 31. sic infert, *Cùm itaque vocabulum Carnis in sacris non semper significet rem humilem & abjectam, sed quandoque humanam naturam seu hominem, quandoque partem hominis, probare debebant adversarii, hoc loco non nisi de fragilitate & infirmitate accipi debere, seu non nisi rem humilem & abjectam significari: probare, inquam, debebant, non nudè aßerere.* Quæ responsio Gravveri ingentis ignorantiæ vel incogitantiæ illum convincit. Facit enim ex nobis respondentibus argumentantes & actores. Non nos nunc sumus, qui dicimus, verba Ioannis, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ita convertenda esse, & Sermo ille caro fuit: sed vos estis, qui verba illa isto modo convertitis, *Et verbum Caro factum est*, & ex eo dogma istud monstrosum incarnationis filii Dei probare nitimini. Nos, repulsuri vestrum hoc argumentum, primùm dicimus, aliter ista verba converti posse. Quod si verum sit, vestra interpretatio & dogma, quòd ista interpretatione nititur, corruat necesse est. Dato enim duplici verborum sensu, alter necessariò verus esse non potest. An verò non sufficiat ad docendum, locum aliquem aliter converti posse, quàm velit adversarius, afferre exempla aliquot, eaque ita clara, ut ipse adversarius ea pro talibus agnoscat, judicent omnes, qui de arte disputandi scripserunt. Et hic est scopulus, in quem omnes nostri adversarii turpiter impingunt, quod non facerent, nisi veritas eos premeret. Quanquam hîc non subsistimus. Probamus enim verba Iohannis ita etiam esse convertenda, ut nos dicimus, idque inter alia hoc etiam argumento: Quòd nimis absurdum esset, Ioannem, posteaquam multa enumerasset, quæ, Christus in mundo existens, fecerit, demum dicere, eum esse natum. De quo paulò pòst plura. Ad loca similia huic, quoad sensum ex Phil: 2. & 1. Cor: 8. allata, nihil respondet Gravverus, quod refutatione dignum sit. *Tantùm ad rem ea nihil facere* ait, *& eße aliena, quia de exinanitione & humiliatione ea ἀμέσως loqui, expreßæ determinationes, quales in textu Ioanneo non occurrant, evincunt.* Quæ responsio quàm sit frigida, consideret prudens lector.

Error Gravveri.

Cur verba Ioh: 1. 14. per Fuit interpretanda sint.

Sed nunc, quomodo suam verborum Iohannis interpretationem probet Gravverus, attendamus. Ait thesi 34: *Quid sibi velit Iohannes, quando inquit, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, partim ostensum eße thesi 22, & 23. partim apparere ex loco Gal: 4. 4. quando scribit, Filium Dei γενόμενον ἐκ γυναικὸς, & Rom: 1. 3. filium Dei γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβίδ. Ex his enim apparere verbum ἐγένετο non per fuit, sed per factum vel natum eße reddendum.* Addit, *si adhuc dubitemus hæc loca æquipollere, majoris certitudinis adjungatur evidentissimus locus, Heb: 2.*

14.

14. μετέσχε *particeps factus est carnis & sanguinis, quemadmodum pueri participes sunt facti carnis & sanguinis. Deniq; thesi 35 ait, maximè illustrare suam sententiam v:16. Non utique Angelos aßumsit, sed semen Abrahæ aßumsit, quibus verbis indicari ait, quòd filius Dei particeps sit factus carnis & sanguinis, nempe aßumptione seminis Abrahæ.* Sed quàm sit puerilis hæc argumentatio tota, dici vix potest. Quæ enim vis consequentiæ: alibi dicitur, Iesum esse factum ex muliere, & ex semine Davidis, ergo in verbis Ioh:1.14. vox ἐγένετο est reddenda, per factum est. Nonné suprà concessit Gravverus vocem ἐγένετο alibi converti non tantùm posse, sed etiam debere per fuit? Ergo si bona est argumentatio Graveri, nostra etiam bona erit, & sic suam deserere cogetur Graverus. Nonné verò utrumque simul verum esse potest, quòd scilicet Christus sit ex muliere & ex semine Davidis factus, & tamen caro fuerit? Imò hoc consequens quoddam necessarium illius est. Deinde quomodo majoris certitudinis causâ adjungi, & quomodo evidentissimus appellari potest, locus Heb: 2.14. Cùm is locus ad evertendum dogma incarnationis sit aptissimus. Nam si participare carnem & sanguinem, est, naturam humanam assumere vel hominem fieri, sequetur, pueros, hoc est, fideles Iesu Christi, humanam etiam naturam assumsisse & homines factos fuisse. Tam enim de illis dicitur, quòd communicarint carni & sanguini, ut de Christo, quòd eadem participârit. Illud denique, quod sententiam suam illustrare ait Graverus, prorsus eam tollit & annihilat. Nam in verbis v:16. nulla mentio est ejus, quòd aliquis ante Christum natum semen Abrahæ assumserit, sed de homine Iesu id dicitur. Deinde nulla etiam naturæ humanæ mentio est. Semen enim Abrahæ non sunt homines, quâ homines, sed quâ fideles: & denique de re, quæ tunc, cùm autor ista scriberet, perficiebatur, & nunc perficitur, sermo est. Vnde constat, ad incarnationem nulla ratione ista quadrare: sermonem autem esse v:14. de eo, quòd Christus afflictionibus & morti obnoxius esse voluerit sponte sua, quia pueri ipsius, hoc est, fideles, sint iisdem rebus, ex Dei voluntate obnoxii, idque declarari v. 16. quia scilicet non Angelorum sit servator, sed seminis Abrahami. Hoc enim esse, recipere semen Abrahami, ipse contextus uberrimè docet, & nos nuper etiam fusè docuimus, in refutatione libelli Martini Smiglecii Iesuitæ, cui titulum dedit, *Verbum caro factum.*

alibi dicit

De locis Heb: 2. 14.16.

v. 16 Explico Ircam

Quid sit semen Abrahæ recipere.

Hanc explicationem carpit Graverus, sed valdè ineptè & crassè. Ait enim thesi 37: *Quòd legitur aßumit & non aßumsit, parum refert. Quis enim temporis Enallagen in scripturis usitatissimam eße ignorat?* Equidem non nego, enallagen temporum sæpe occurrere. Sed pri-

mũm dico, talem enallagen rarò occurrere. Præſens quidem vel præteritum pro futuro accipitur; & præteritum etiam pro præſenti accipi interdum videtur: At præſens pro præterito nempe perfecto accipi pro valdè raro cenſendum eſt. Deinde dico, talem enallagen, quæ ſcilicet rarò occurrat, non eſſe adhibendã, niſi tunc, cũm aliter ſenſus verborum conſtare non poteſt. Quod hîc ſecus fieri ad oculum apparet. Quid enim eo verius, quid conſolationis plenius, quàm Chriſtũ non angelos ſed homines recipere, & ſalutem eorum procurare?

Enallage quando adhibenda.

Ait iterum theſi 38: *Per ſemen Abrahæ hoc loco intelligi credentes adverſarii dicunt, non probant. Quis ignorat Chriſtum eſſe ſemen Abrahæ? eſſe ſemen mulieris?* Hoc iterum quid inſulſius dici potuit? Primùm, quia nos argumẽtis adverſariorum, quæ ex hoc loco nectunt, diſſolutis, ſententiam noſtram, nullo jure adacti, ut fit in Catecheticis diſciplinis, etiam addimus, non valdè urgenda eſt probatio ejus, quod aſſerimus. Nam etiamſi noſtra ſententia tandem non admittatur: tamen jam proſtrata eſt adverſariorum argumentatio. Deinde quid notius eſt, quàm ſemen Abrahæ, ſaltem interdum, ſignificare fideles, ut probatio ejus a nobis requiratur? Ad repellendos autem adverſarios, qui ſemen Abrahæ, naturam humanam ſignificare contendunt, ſatis eſt, ſemel tantùm, per ſemen Abrahæ, fideles intelligi. Porro ſi dubitat Gravverus, ſemen Abrahæ ſignificare fideles, legat, quæ Paulus ſcribit in hunc modum: *Si autem Chriſti eſtis, Abrahæ ſemen eſtis, & ſecundùm promiſſionem hæredes.* Item alibi, ubi ait, *Abrahamum eſſe Patrem omnium credentium per præputium, & patrem circumciſionis, iis qui non ex circumciſione tantùm, ſed etiam qui incedunt veſtigiis illius (quæ) in præputio fidei patris Abrahæ.* Conſideret etiam, ſemen Abrahæ, hoc in loco idem eſſe cum illis, quos ſuprà idem autor, jam filios Dei, jam ſanctificatos, jam Chriſti fratres, jam ejus pueros, datos illi a Deo, appellârat, & quos inferiùs populum Dei, & eos qui tentantur appellat. In uno enim eodemque contextu his omnibus vocibus, aliam pro alia ſubſtituendo, autor de iiſdem utitur. Quis verò eſt, qui nõ intelligat, per filios Dei, ſanctificatos, Chriſti fratres, & pueros illi a Deo datos, populum Dei & eos qui tentantur, neminem alium intelligi niſi fideles? Illud denique quid eſt, quod addit Graverus? *Quis ignorat, Chriſtum eſſe ſemen Abrahæ? eſſe ſemen mulieris?* Primùm ineptè conjunguntur, ſemen Abrahæ & ſemen mulieris. Semen enim Abrahæ Chriſtum dictum eſſe concedi poteſt: at ſemen mulieris, ubi dicatur diſertè, hactenus nec ipſe legi, nec ab aliis id demonſtrari vidi aut audivi. Sed deinde, ſi Chriſtus ſemen Abrahæ eſt, & voces, ſemen Abrahæ, aliud nihil ſignificant, quàm Chriſtum, quæ nugatio erit, ſi dicatur,

Semen Abrahæ ſunt fideles tantùm.

Nihil tam

Gal. 3. 30.

Rom. 4. 11. 12. 16.

catur, quòd Christus non Angelos sed semen Abrahæ assumsit? Idem enim erit, ac si dictum esset, Christum assumsisse Christum. Et si idem est semen Abrahæ esse, & semen mulieris, sequitur pariter, Christum semen mulieris assumsisse? Hæc scilicet pœna est supercilii, quo nostra torvum intuitus est Graverus.

Thesis 39. est. *Verbum ἐπιλαμβάνομαι in sacris nunquam significat in gratiam recipere. Nec opus est conjecturâ, quid sit filium Dei assumsiße semen Abrahami, siquidem ex contextu id evidens est. Postquam enim v: 14. dixerat, filium Dei participem esse factum carnis & sanguinis, v: 16. declarat, unde carnem & sanguinem acceperit, nempe ex semine Abrahami; quod etiam vult Rom: 9. 5. quod sit ex patribus (& sic ex Abrahamo seu semine Abrahami) secundum carnem.* Primùm ita loquitur Graverus, ac si concedat, vocem ἐπιλαμβάνομαι in prophanis scriptoribus significare, in gratiam recipere, dum ait eam *in sacris* nunquam id significare. Quod si ita est, jam ipsemet videat, an non vera sit significatio hæc vocis Græcæ. Sic enim, qui interpretationes suas tuentur, viri docti, autoritatem scriptorum Græcorum prætendere solent, & hactenus ab omnibus id ratum habetur. Quanquam non necesse est, vocem ἐπιλαμβάνομαι significare in gratiam recipio: sed satis est, eam simpliciter significare, recipio. Iam enim nemo non intelligit, hanc vocis *Recipere*, eam esse significationem, quæ ad dogma incarnationis nihil prorsus facit. Nam is aliquem recipere dicitur, qui eum juvat, defendit, conservat. Hanc autem esse vocis hujus significationem ex multis exemplis unum atque alterum producam. Eccles: 4. 12. ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσε, καὶ ἐπιλαμβάνεται τῶν ζητούντων αὐτὴν. Matth: 14. 31. extensa manu Iesus apprehendit eum (Petrum) ἐπελάβετο αὐτόν. Vnde etiam Sebastianus Castellio, linguæ Græcæ peritissimus, & hîc minimè suspectus, hanc vocem Græcam per verbum Latinum, *opitulatur*, in loco ad Hebr: vertere non dubitavit. Et præter hæc omnia ipse contextus talem vocis istius significationem postulat, si absque præjudicio legatur, & de re, quæ tunc, cùm ista scriberentur, adhuc perficiebatur, sermonem esse ut ipsa verba cogunt, expendatur.

Deinde mirum videri debet, Gravverum dicere, id quod v: 14. dictum fuerat, filium Dei participem esse factum carnis & sanguinis, v: 16. declarari, unde carnem & sanguinem acceperit, nempe ex semine Abrahami, idque idem Paulum etiam velle Rom: 9, quòd Christus sit ex Patribus secundùm carnem, & ad marginem *NB* etiam ascripsisse, & idem prorsus in margine, quod in contextu est, repetiisse. Nihil

enim sani aut veri prorsus in tota hac oratione illius inest. Nam nec docet ullo verbo Gravverus, v:16. declarari, illud, quod v:14. dictum fuerat. Nos verò nudis ejus dictis cur fidem adhibeamus, causam nullam habemus. Contrarium autem facilè probari potest. Versus enim 14. de re, quæ præterita est, agit. Nec enim Christus nunc participat carnem & sanguinem, sed tunc ea participavit, cùm in terris degens afflictiones & mortem subiret: Versus autem 16. de re, quæ nunc etiam fit, loquitur. Adde quod verba v: 16. ratio sunt, quare Christus carnem & sanguinem participârit. Quia scilicet non Angelorum, sed hominum mortaliū, quatenus fideles sunt, servator sit, reipsa scilicet. hoc enim indicat vox causalis, *Enim*. Vnde constat, non idem esse, semen Abrahæ recipere, quòd carnem & sanguinem participare. Nunquam enim argumentum cum quæstione idem est. Taceo quod astutè Gravverus filii Dei meminit, cùm de participatione carnis & sanguinis loquitur. Tacitè enim sumit filium Dei extitisse, antequam homo fieret. cùm tamen certum sit, autorem epistolæ ad Hebræos de Iesu, hoc est, de homine jam ex Maria nato dicere, eum participâsse carnem & sanguinem. Hujus enim proximè ante mentio facta fuerat v: 9. Vnde porrò etiam statuendum est, de eodem Iesu jam nato dici, quòd non Angelos, sed semen Abrahæ recipiat. Præterea ineptè prorsus dicitur, v: 16. declarari, unde carnem & sanguinem acceperit filius Dei, nempe ex semine Abrahami, nisi doceatur, semen Abrahæ aliud nihil significare, quàm carnalem Abrahami posteritatem. Iam autem suprà docuimus, semen Abrahæ solos fideles quandoque significare. Adde quòd diversi sint prorsus loquendi modi, Christū ex semine Abrahami aliquid accepisse, & Christū semen Abrahami accepisse, ut jam concedam, vocē Græcam ita converti posse. Isto enim modo fortassis ortus ex aliquo significari posset: at hoc minimè. Quis enim unquam audivit vel legit in sacris literis, accipere semen alicujus, esse nasci ex illo? Nec mirum, Nam accipere semen alicujus est, actio ejus, qui jam re ipsa existit: sed nasci ex aliquo, non est actio ejus, qui nascitur, sed vel Dei vel parentum. Vnde etiam nusquam dicitur, cùm de Christi nativitate vel ortu sermo est, Christum aliquid fecisse, ut hîc, cùm de receptione seminis Abrahami sermo est, dicitur: sed simpliciter, eum factum esse, vel simpliciter esse ex semine Davidis vel ex patribus. Ex quibus omnibus videre est, quid de thesi sequenti, quâ hactenus dicta Graverus concludit, sentiendum sit.

Aliud est semen alicujus recipere, & ex semine ejus aliquid accipere.

Thesis 40. est. *Ex his jam sic concludo: Quicunque ita σάρξ ἐγένετο, ut sit factus seu natus ex muliere, ex semine Davidis, particeps factus carnis*

carnis & sanguinis, & assumserit semen Abrahæ, is rectè dicitur non fuisse caro, id est, humilis & abjectus, sed factus caro, id est homo. Atqui λόγ☉ ita σὰρξ ἐγένετο. *Ergo.* Miserarum præmissarnm misera est conclusio, ut ex antedictis constat.

Thesi 41. ait Gravverus, *se non negare, Christum esse factum vel fuisse humilem & abjectum, præsertim tempore passionis, attamen de eo Ioh:1. 14., propriè & accuratè loquendo, ἀμέσως non agi, idque ob hanc causam, quòd ita factus sit caro, ut habitaverit inter homines, & viderint ejus gloriam,* &c. & ad marginem iterum addit illud *NB.* Sed & hæc infirma conjectura est. Nam quid impedit, quò minus dicatur, Christum fuisse humilem, & habitasse inter homines, & eos vidisse gloriam illius, gloriam quasi unigeniti à Patre? Nonné tam tam is, qui humilis fuit & abjectus, quàm qui homo factus fuerat, habitare inter homines potuit, & habitavit ex mente Gravveri? Quanquam valdè insulsè dicitur, Christum hominem factum vel natum habitasse inter homines. Est enim habitatio ista aliud nihil, quàm conversatio cum hominibus. Christus verò puer natus, quomodo cum hominibus conversari potuit? Præterea juncta est ista habitatio inter homines, cum ista visione gloriæ illius, gloriæ quasi unigeniti à Patre. Quæ verò gloria tanta visa fuit ab hominibus a Christi nativitate, vel habitatione illa inter homines, qualē fingit Gravverus? Vnde constat, non de eo tempore, quo Christus natus fuit, & inter homines vivere, ut puer, cœpit, sed de conversatione & vita ipsius, quam, postquam munus suum exorsus esset, inter Apostolos degit, sermonem esse. Hi enim per vocem *nos* significantur. Inter hos enim Christus habitavit perpetuò, & hi præ omnibus aliis talem Christi gloriam, qualem nemo alius, viderunt, tum in miraculis quibusdam singularibus, tum in monte sacro, tum in morte ipsius, tum post resurrectionem usque ad ipsam ascensionem. Qua de re fusè scripsimus nuper in responsione ad duos Martini Smiglecii Iesuitæ S.T. Doctoris libros, quorum alter titulum habet: *Nova Monstra novi Arianismi:* alter *Verbum Caro factum.* Quid sit habitare inter homines.

Thesi 42. ait: *Manifestavit autem gloriam suam, antequam se tam profundè humiliaret, ut videre est Ioh: 2. 11.* Hoc quàm sit puerile & frivolum, iterum expendat benevolus lector, ex iis quæ modò diximus. Nec enim Ioannes tempus certum exprimit, quo gloria Christi qualiscunque sit manifestata, ut necesse sit, istam historiam Iohan: 2. huc referre: sed totum illud tempus, quo Christi gloria conspecta fuit, comprehendit. Præterea, quomodo ea gloria, quæ tunc apparuit, cùm Christus aquam in vinum commutaret, pro gloria ista haberi

potest,

potest, quam homines viderint, eamque talem, qualis est unigeniti a Patre? Cùm incertum sit, an ad omnes, vel multos etiam homines fama istius miraculi pervenerit: falsum autem sit omnino, hanc esse gloriam quasi unigeniti a Patre. Poterat enim hoc idem facere alius etiam, qui filius Dei unigenitus non esset. Nihil nunc dico de voce, quâ Ioannes utitur ad declarandum modum, quo gloria illius visa fuit, ἐθεασάμεθα. Hæc enim contemplationem, hoc est, crebram & constantem rei alicujus considerationem significat. Hinc a simplici

Quæ vis vocis Contemplandi.

visione distinguitur, 1. Ioh: 1. 1. *quod vidimus, quod contemplati sumus.* Hanc verò in tali miraculo locum non habere nemo non intelligit. Sed est aliud in eadem thesi: *Perpendant etiam*, ait, *hoc adversarii*, & ad marginem jam tertium est *NB. quòd, postquam Evangelista dixit, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, non ampliùs Christum in toto Evangelio λόγον seu verbum appellat, sed vel Christum, vel filium hominis &c. proculdubio, quòd verbi appellatione filium Dei exprimere voluit, quatenus etiam ante incarnationem verbum Dei fuit, & non solùm ea ratione, quòd voluntatem Patris nobis in tempore revelavit, sed quòd a Deo ab æterno genitus est, quæ generatio aßimilatur intellectioni nostræ. Licet enim in nobis conceptus mentis sit accidens, in Deo tamen idem est, intelligens, intellectum, & intellectio, & species intelligibilis, exceptis relationibus mutuis producentis & producti, de qua re nuper in disputatione quadam fusiùs.* Expendimus jam pridem, non sine causa D. Ioannem, qui ab initio Evangelii de Sermone locutus fuerat, deinde Iesum Christum disertè substituisse: sed causam eam esse, quam adscripsit Gravverus, hactenus videre non possumus, nec id nos docere nunc Gravverus voluit. Quàm autem omnia sint incerta, quæ hîc commemorantur, a nostris, in non paucis libris, Dei gratiâ, solidè demonstratum est, & a me ipso etiam nuper in ante nominatis responsionibus, quæ jam publicè extant. Nunc nudæ Gravveri assertioni hæc tantùm oppono: Filium Dei fuisse verbum ante incarnationem, ingens fabula est. Nam si ante fuit, jam id, quod in virginis Mariæ utero conceptum, & per menses ad fœtum producendum necessarios, in eo sustentatum & ex ea denique natum est, non erit propriè Dei filius, quod disertè pugnat cum verbis angeli dicentis; *Id quod ex te nascetur, sanctum, vocabitur Dei filius.* Porrò filium Dei appellari verbum Dei, eò,

Luc. 1. 35.

quod a Deo ab æterno genitus sit, falsum erit tamdiu, donec doceatur, vocem Græcam λόγος significare verbum; &, quod majus est, in ea significatione a Ioanne eam usurpari, quâ a Philosophis accipitur. Cùm nimis certum sit, vocem λόγος sermonem significare, & figuratè

ratè a Ioanne ad captum hominum rudium & ſimplicium uſurpari, pro eo, qui ſermonem alicujus revelat. Qualibus vocibus Ioannem delectari quodammodo, tota ipſius ſcriptio indicio eſt. Quæ deinde addit de Chriſti generatione, & modo generationis iſtius plusquam Philoſophico, quia alibi ſe tractaſſe ait Gravverus, nũc etiam intacta relinquo. Hoc tamen hîc moneo, non debere Gravverum dicere, Filium Dei ab æterno a Deo eſſe genitum, ſiquidem, ut alii dicunt, nondum eſt genitus, ſed perpetuò generatur & generabitur. Monebo & illud, mirum eſſe, cur non plures uno filios Deus ille, qui perpetuò ſeipſum intelligit, generet: Mirum deniq; eſſe, cur Filius & Spiritus ſanctus, qui eandem numero habent eſſentiam, quam is habet, qui generare dicitur, non generent etiam ipſi. Sed de his aliàs. Deum autem oramus, ut omnibus, qui Chriſti Evangelium profitentur, det eam mentem, ne præter & extra illud ſapere velint. Cauſa autem, cur loco Sermonis, Ioannes Ieſum Chriſtum vel filium hominis ſubſtituerit, hæc eſt proculdubio, quòd diſertè docere voluerit, tùm quis eſſet ille, quem Sermonem appellârat, nempe nemo præter & ante Ieſum Chriſtum, contra quàm hodie pleriq; ſentiunt: tùm quare Ieſum Chriſtum, Sermonem appellârit, quia ſcilicet per Ieſum Chriſtum gratia & veritas facta ſint, & is Deum nobis expoſuerit.

D. Iohannes delectatur vocibus figuratis.

Indicia falſitatis ſententiæ de generatione filii Dei æterna.

Cur loco Sermonis Ieſus Chriſtus a Ioanne ſubſtituatur.

Sed nunc audiamus, quid ampliùs dicat Gravverus theſi 43. *Nec obſtat, quòd Evangeliſta in præcedentibus verſiculis de filio quædam commemoravit, quæ poſt nativitatem ipſius demum contigerunt: non enim inſolens eſt apud Evangeliſtas ὕστερον πρότερον, ut inprimis apparet in deſcriptione tentationis Chriſti factæ in deſerto, Matth: 4. & Luc: 4. ſi collatio inſtituatur, ut alia exempla taceam.* Figuram ὕστερου προτέρου dari non negamus: ſed & raro, & talem, quam quivis per ſe deprehendere & facilè dijudicare poteſt. Tam verò inſolentem D. Ioanni affingere, eſt, Spiritui ſancto detrahere. Nec enim unum aliquod verbum vel rem unam atque alteram dixerat Ioannes, antequam addit hæc verba, quæ de nativitate Chriſti interpretatur Gravverus, ſed valdè multa, imo ea & tot, quæ compendium quoddam ſunt univerſi Evangelii, quòd ſcilicet (ut alia omittam, quæ controverſa ſunt,) Ioannes Baptiſta de eo teſtatus ſit, quòd omnem hominem illuminârit, in mundum veniens, quòd in mundo fuerit, quòd mundus per eum factus ſit, quòd mundus & proprii eum non cognoverint, quòd iis, qui eum cognoverant, & in nomen ejus crediderant, dederit poteſtatem, ut filii Dei fierent. Poſthæc tam multa, ſanè nonniſi ſtultè & ridiculè nativitatis demum mentio fieri potuiſſet. Addo etiam, Gravverum nullum ὕστερου προτέρου exemplum attuliſſe, quan-

tumvis dicat, inprimis id apparere ex eo, quod attulit. Nam ex collatione locorum Matth: 4. & Luc: 4. tantùm apparet, diverso ordine duos scriptores, ea, quæ Christo acciderunt, descripsisse; non constat autem, uter illorum recto ordine istas tentationes describat: At in ὑστέρῳ πρότερῳ præsumitur, quòd constet, res alio ordine describi, quàm revera gestæ sunt. Sed de hoc mox plura. Atque ex his tandem constare puto, an verum sit, quod thesi 44. gloriatur Gravverus, *se obtinuisse, in textu Paulino per manifestationem Dei in carne, intelligi manifestationem filii Dei, seu particulam illam textus Paulini de Christo esse acipiendam.*

Omissâ Gravverus secundâ loci 1. Tim: 3. particulâ, *justificatus est in spiritu*, transit ad tertiam, *visus est Angelis*, & *eam satis clarè indicare* ait, *Christum in subjecto voce Dei notari: Hic enim est, qui ab Angelis visus seu conspectus est.* Vbi priusquam ad hanc tertiam particulam accedam, notandum est, non sine causa omissam esse a Gravvero secundæ particulæ expositionem. Nam si ea paululùm expendatur, apparebit, quid sit ista Dei in carne manifestatio, cujus antithesis illud est. Est autem nihil aliud, quòd Deus justificatus est in Spiritu, quàm quòd pro vero sit agnitus. (hæc enim vocis justificari, quando de Deo accipitur, significatio est,) per virtutem illam divinam, quæ tum in Christo tum in Apostolis sese exerebat. Vnde apparet, verba *in carne* rectè etiam sic explicari, per carnem, & per carnem rectè indicari infirmitatem: opponitur enim virtuti divinæ. Et quemadmodum una particula mysterii Christianæ religionis fuit, quòd divina voluntas de salute humani generis debuit per infirmos homines revelari: sic altera fuit, quòd tamen frustra id esse non debuit, nec fuit. Effecit enim ista divina virtus, ut homines paterentur sibi persuaderi, vera ea esse, quæ tum Christus, tum Apostoli prædicârant. Hoc autem de persona ipsius Dei vel Christi non nisi ineptè admodum prædicare poterit. Sed nunc videamus tertium. Futilissimum autem esse dicimus, quod hîc ita nudè asserit Graverus. Quis enim nescit, Christum, si incarnatus fuit, visum fuisse ab Angelis, ut hoc nobis Paulus pro re nova panderet? Visus enim fuit, imò non potuit non videri ab omnibus & hominibus & dæmonibus. Paulus autem, ut ipsa verba illius ostendunt, & nos antea etiam indicavimus, mysterii pietatis particulas nobis describit. Quid verò mysterii in eo est, quòd in omnium sese oculos sponte sua ingerit? Adde, quod Gravverus cum aliis fortasse credit, angelos omnia solo intuitu cognoscere? Quomodo igitur de illis prædicari potest, ab eis tunc visum fuisse Christum? Quoniam igitur mysteria, hoc est, nova & mira hîc nobis Paulus scribit, ut ex a-

Rom: 3. 4.

Quid sit Iustificatum Deum tuisse in spiritu.

iis præcedentibus duobus & ſequentibus tribus apparet.(nam ut myſterium eſt, tantam rem per homines infirmos & mortales revelatam eſſe, & tamen viciſſim in iſtis hominibus virtutē divinam tantā apparuiſſe; ut myſterium eſt, gentes extraneas admiſſas fuiſſe ad gratiam Dei; ita deniq; myſterium eſt, & mirum, rem iſtam tam felicem ſucceſſum ſortitam eſſe, ut in univerſo mundo ei fides ſit adhibita, & gloriosè recepta,) relinquitur, hîc etiam tale quid deſcribi, quòd reſpectu tantùm Angelorum res fuerit nova & antea incognita. Nam verè novum & myſterium eſſe neceſſe eſt, quod illis, qui perpetuò cum Deo creatore ſuo habitant, per tantam tot ſeculorum ſeriem fuit incognitum. Incognitam autem fuiſſe tam benignam Dei erga homines voluntatem, vel hinc conſtat, quòd, poſt eam planè exhibitam, reconciliata demum dicuntur eſſe quæ in cælo & in terra. Col: 1. 20. Vnde apparet, inimicitias quodammodo fuiſſe inter angelos & homines ante revelatam iſtam gratiam. Hæ autem non fuiſſent, ſi cognitum habuiſſent, Deum velle ita clementer miſereri humani generis.

Hanc explicationem, quæ in Catechiſmo noſtro habetur, rejicit Graverus theſi 47. *quia, ut ille ait, magis mutus ſit quàm piſcis, in demonſtrando, quare hæc verba, Viſus eſt angelis, ita accipi debeant.* Sed meminiſſe debebat Gravverus, in Catecheſibus ſcribendis brevitati ſtudendum eſſe, & non omnia dici poſſe, quæ fortaſſe quis requireret. Adde quòd iſta res adeò manifeſta eſt, ut, ſi conſtet, vocem *Dei*, de Patre intelligi poſſe & debere ob rationem ſæpiùs allatam, quòd ſcilicet, quandocunque locum ſubjecti tenet, ſemper de Patre accipienda ſit, vix aliter verba iſta intelligi queant. Sed jam habet ſuprà Gravverus probationem hujus rei, & eandem etiam ipſemet ex Oſtorodi diſputatione aſcripſit theſi 48., quam quo modo refutet, expendamus. *Contorta & a textu aliena ea eſſe quemlibet animadvertere,* ait, *quæ dicimus, nempe talia in Evangelio revelata eſſe, quæ ne angeli quidem priùs ſciverunt, adductis locis Epheſ: 3. 10. & 1. Pet: 1. 12. in quibus dicitur, quòd nunc per eccleſiam innotuerit principatibus in cæleſtibus multiformis ſapientia Dei, & quòd Angeli cupiant introſpicere in ea, quæ de ſalute humani generis ibidem dixerat Apoſtolus.* Sic autem ait theſi 49.

Licet enim per incarnationem filii Dei ſapientiam Patris Angeli pleniùs cognoverint: tamen de hac patefactione hoc loco non eſt ſermo. Theſ: 50. Non loquitur Paulus de quavis revelatione Dei, nec de voluntatis patefactione: non inquit ἀπεκαλύφθη, *ſed* ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις *non Dei voluntas, non Dei majeſtas, ſed Deus.* Sed quid eſt, quòd primùm pro libitu ſuo absque ulla probatione de incarnatione filii Dei

id intelligit Gravverus, quod de multiformi ſapientia ſcribit Apoſtolus? Cùm dogma illud ſit ſacris literis prorſus ignotum,& nunc de eo controverſia ſit inſtituta.Certè qui ſic cum adverſariis agunt,leges diſputandi ſusque deque habere videntur.Nonné verò,ut hoc obiter addam, in loco Epheſ:3.10. de iſta ſapientia Dei multiformi ſermo eſt, quâ Deus,ut olim ſolos Iudæos, ſic nunc unâ cum illis etiam alias gentes ſervare velit? Et ſanè in hoc ſapientia Dei multiformis conſpici poteſt: at in iſto incarnationis figmento ne minimùm quidem. Quid porrò eſt dicere: de hac patefactione hoc loco ſermonem eſſe? Quorſum verba illa, *Hoc loco*, Et, *de hac patefactione*, referenda ſunt? Si ad locum Epheſ:3.10. referantur, & dicatur de hac patefactione, nempe incarnationis, hoc loco non eſſe ſermonem, ineptiſſimè illud dicitur. Nemo enim eſt, qui dicat, Epheſ:3. de iſta incarnatione ſermonem eſſe,cùm iſtud pro figmento habeamus: Si ad locum 1.Tim: 3. referantur, quomodo de hac patefactione incarnationis hoc loco non eſt ſermo, cùm eum ad iſtam incarnationem probandam attulerit Gravverus? Neſcio an non fato quodam factum ſit, ut,dum nobis contorta & a textu aliena objicit Gravverus, ipſemet contorta & a textu & ratione prorſus aliena dixerit. Quid denique hoc eſt? *Non loquitur de quavis revelatione, nec de voluntatis patefactione*, niſi deſperabunda titubatio,vel temeraria rei controverſæ aſſeveratio? Hoc enim nunc quæritur, an de revelatione voluntatis vel de alia loquatur Apoſtolus.Illud verò: *Nō inquit ἀπεκαλύφθη, ſed ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις non Dei voluntas ſed Deus*, puerilis iterum confirmatio eſt. Nonné enim ſufficit vocem *viſus eſt*,pro revelatus eſt, & vocem *Dei*,pro ejus voluntate accipi poſſe, etiamſi non dicatur, revelatus eſt, vel Dei voluntas?

Quid multiformis ſit Dei ſapientia, Epheſ:3.

Sed explicationem Gravveri ſuper hæc verba audiamus, quæ talis eſt theſi 51. *Dices: Sed quæritur quid per vocabulum Deus, intelligatur? Recte: Evolve hiſtoriam Evangelicam, ad quam Paulus digitum intendit,& videbis,eum eſſe Chriſtum: hujus enim conceptionem, nativitatem, fugam in Ægyptum, paſſionem, reſurrectionem, inprimis & aſcenſionem partim conſpexerunt,partim prædicârunt & annunciarunt: hæc, hæc ſunt,inquam,quæ Petro teſte,introſpicere concupiverunt,hæc enim ſunt, quæ eodem teſte,annunciata erant iis,quibus Petrus ſcribebat. Chriſtus denique eſt,cui Angeli miniſtrabant, Matth:4.v:11. Hic igitur eſt,qui ab Angelis conſpectus eſt.* & addit theſi 52. *Hæc noſtra interpretatio exactè conſentit cum hiſtoria Evangelica,ut ad tropum valdè contortum confugere non neceſſum ſit.* Ineptè primùm quæſtio formatur.Nec enim nunc de prima particula hujus loci, ſed de tertia ſermo eſt, in

est, in qua vox *Dei* non repetitur, & jam superiùs de vocabulo *Deus* disputârat Gravverus: sed quæstio est, quid sit, quòd Deus, de quo jam antea disputatum fuerat, quisnám esset, sit visus ab angelis, idque ex responsione etiam Gravveri apparet. Nec enim docet, quis sit Deus ille, de quo antea sermo fuit, sed quomodo is Deus angelis sit visus. Responsio autem ad quæstionem, longè est ineptior. Nam quæ ab angelis conspecta enumerat Gravverus, ea ab aliis etiam conspecta fuerant, & proinde commendari per id nequeunt, tanquam aliquid novum & mirum, quòd ab Angelis visa fuerint. Vidit enim (ut nunc cum Gravvero ineptiam) & Maria & Ioseph Christi conceptionem & nativitatem, & fortasse ab his edocti alii etiam: viderunt fugam in Ægyptum proculdubio plures: passionem vidit universus populus Iudaicus: resurrectionem magnus discipulorum chorus, ascensionem omnes Apostoli. Vnde constat, non recenseri hîc a Paulo actiones miraculosas, quæ circa negotium Evangelii acciderunt, & omnibus innotuerunt. nam alioquin non omisisset Christi mortem & resurrectionem, quæ sunt ex actionibus illis primariæ: sed qualitates certas & res novas, quæ ad hoc Evangelii negotium commendandum pertinent, enumerari. Hoc verò quomodo sine risu & dolore legi potest, *hæc, hæc sunt quæ angeli introspicere concupiverunt?* Potuitné Angelus concupiscere vel desiderare, ut introspiceret Christi fugam in Ægyptum & passionem? nonné potius concupiscere debuit, ne illa videret? Porrò requiritné Christi nativitas & fuga in Ægyptum aliquam talem inspectionem, qualem vox Græca apud Petrum denotat, nempe accuratam & singularem? Præterea quid hæc omnia ad verba Petri faciunt, qui Angelos non concupivisse, sed concupiscere ait introspicere in ea, de quibus ibi loquitur? Num etiam nunc Angeli desiderant introspicere in Christi conceptionem, nativitatem, fugam, passionem &c. Apage istas ineptias. Vnde pariter constat, quàm verè dictum sit, hæc esse, quæ annunciata erant iis, quibus Petrus scribebat. Nec enim de Christi conceptione, nativitate, & fuga in Ægyptum & aliis hisce similibus conciones ad populum habuisse divinos Apostolos statuendum est, sed de salute humani generis per Christum annunciata & confirmata. Hanc salutem cùm multis verè divinis verbis descripsisset Apostolus, sic eam commendat, quòd veteris Testamenti Prophetæ illam scrutati sint, quòd deniq; ipsi Angeli eã introspicere desiderent, quæ sanè digna est Apostolo Petro & plena solidissimæ consolationis oratio. Illud deniq; quale sit vide ante-rudit. Angeli Christo serviebant: Ergo Christus est, qui ab Angelis conspectus fuit. Verum quidem est, Angelos vidisse eum, cui mini- *Quid Apostoli potissimùm docuerint.*

 strabant:

ſtrabant: ſed nunc in quæſtione eſt, an ille, cui miniſtrabant Angeli, fuerit Deus ille, de quo 1. Tim: 3. ſermo eſt. Ita ſcilicet exactè conſentit interpretatio Gravveri cum hiſtoria Evangelica.

Abſoluta hac tertia particula pergit ad quartam, & dicit theſ: 53. *ſe facilè largiri nobis, Deum Patrem prædicatum fuiſſe gentibus, quia filius illis abſq́, Patre prædicari non potuerit. Quem autem ἀμέσως hîc intelligat, ipſum Paulum ſatis clarè 1. Cor: 1. 23. indicaſſe, dum dicit: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, græcis verò ſtulticiam, & hinc Chriſtum dici lumen ad revelationem gentium. Luc: 2. 32. Eſa: 46. 13.* Ridiculus eſt Gravverus, qui id ſe nobis largiri ait, quod eum nobis largiri non cupimus. Nam ſi id nobis verè largiatur, in hac particula, in aliis cur id nobis negat, & de Chriſto neceſſariò id dici affirmat? Hac ratione ego etiam largiri poſſum, Chriſtum manifeſtatum eſſe in carne, quia Pater abſque Chriſto non fuit manifeſtatus, & tamen fortaſſe ſe ludificatum eſſe diceret Gravverus, ſi ita cum illo agerem. Firmitudo autem nulla in eo prorſus eſt: quia alibi dicitur, Chriſtum fuiſſe prædicatum, & quidem gentibus, hinc conſequi, eum, qui prędicatur gentibus, eſſe Chriſtum. Quis enim non videt manifeſtam in eo conſequentis fallaciam?

Omiſſâ quintâ particulâ, *creditum eſt ei in mundo*, properat ad ſextam Gravverus, *receptus eſt in gloria*. Notandum tamen eſt, injuriâ hoc fieri a Gravvero. Nam & hoc unum eſt ex miris, quæ habet Chriſti religio, quòd paſſim in univerſo orbe inventi ſint, tàm ex gentibus quàm Iudæis, qui divinam iſtam voluntatem perſuaderi ſibi paſſi ſunt. Nec eſt, quòd quis dicat, idem dici in ſequentibus verbis, *receptus eſt in gloria*. Hæc enim iſtius prioris declaratio & exaggeratio quædam ſunt. Poterat enim fides adhiberi iſti prædicationi Evangelicæ, ſed ægrè tandem, & ita, ut parum pietati ſtuderent, qui divinam voluntatem admiſerant, ut a multis retrò ſeculis ad diem uſque hodiernum videmus, eandem quidem divinam voluntatem a pluri-

Quid differunt, Creditum ei in mundo, & receptus in gloria.

mis pro vera agnoſci, interim eos eſſe corruptiſſimos quoad vitam & mores, quæ receptio non eſt glorioſa. Sed quia tunc ab initio alacriter, celeriter, & cum ſtudio veræ pietatis paſſim admittebatur Chriſti Evangelium, glorioſè Deum receptum fuiſſe eleganter dicitur. Tunc enim Deus glorificatur, cùm ipſius voluntatis revelatio veram erga Deum obſervantiam & obedientiam in hominibus efficit.

Ioh: 15. 8.

Quam noſtram interpretationem nimis coactam eſſe ait Gravverus theſi 55. Cur verò: *Siquidem*, ait, *vocula hæc ἀνελήφθη in novo Teſtamento de aſcenſione uſurpatur, & non ſignificat ſuſcipi, ſed ſurſum recipi, vel*

pi, vel sursum ferri & aßumi. Egregia sanè ratio. Quia vox hæc ἀνελήφθη de ascensione usurpatur, Ergo non significat recipi vel suscipi. Esto, eam interdum significare sursum ferri vel assumi, num ideo significationem suam communem & propriam amittet? Quis autem est, qui non intelligat, ἀναλαμβάνειν propriè significare, recipere, non verò sursum ferri, ut audacter affirmat Gravverus. Videat qui velit, Lexica Græca. Sed præterea in illis ipsis locis, quos adducit ex Mar: 16.19. & Act:1.11. (Lucæ enim 24.51. alia vox est) aliud nihil significat re ipsa vox ista, quàm receptus est. Quòd verò sursum receptus est, converti etiam ea vox possit, id fit ideo, quia cælum, in quod Christus receptus est, sursum sit, non verò propriè vi verbi ipsius. Vnde apparet, quàm malè se gerat Gravverus, dum thesi 56. docet, *de Christo dici, quòd in cælum receptus sit.* thesi autem 56. addit, *se, si nos idem ostendamus de Deo Patre, quod ad hanc particulam, libenter nobis cessurum. Se autem certum esse, quòd non poterimus.* Quid enim opus est de Deo Patre talem alibi locutionem extare, si ipsa vox Græca hanc significationem tanquam propriam sibi vendicet? Ei potiùs, qui aliam inusitatam voculæ isti significationem attribuit, id probandum incumberet. Porrò dum docet Gravverus thesi 58. & 59., quomodo Christus cum gloria & cum laude & gratiarum actione sursum sit receptus, inanem ponit operam. Hoc enim nemo nescit: præstabat autē probare, verba Pauli de ista ascensione in cælum Christi esse accipienda. Quanquam & illud ipsum, quo probat, Christum esse sursum receptum cum laude & gratiarū actione, valdè infirmum est. Nam quod Luc:24.53. legitur, id nec tunc aut ibi, cùm aut ubi Christus in cælum ascenderet, sed Hierosolymis, quo Bethaniâ reversi erant discipuli, factum est: nec ob ascensionem Christi factum esse constat. Additur enim, eos semper in templo fuisse, laudantes & benedicentes Deum. Vnde colligi potest, id ad cultum, quem Deo in templo tunc antiquo more exhibebant, pertinere. Non est autem prætermittendum, quòd alii plærique, qui de ascensione Christi in cælum hîc sermonem esse contendunt, non legant *in gloria*, ut concedit Gravverus, sed *in gloriam*. Senserunt scilicet, vocis ἀνελήφθη non esse eam significationem per se, sursum receptus est, itaque eam illi voci affingere voluerunt vi verborum *in gloriam*. Hæ enim motum ad locum significare videntur. Hoc verò, quia falsum esse tacitè confitetur Gravverus. Vox enim Græca ἐν nunquam fortassis pro εἰς accipitur, vel saltem rarissimè: at ἐν pro διὰ vel μετὰ accipi frequentissimum est, jam bona pars absurditatis istius sensus, quam unà cum aliis Gravverus his verbis tribuit, sese prodidit.

Sed cùm restare sentiret objectionem nostram, quâ docemus, hæc verba ad ascensionem Christi non esse referenda, quia scilicet priùs ea dicta sint ab Apostolo, quæ istam ascensionem præcesserunt, nempe prædicatio inter gentes & fidei adhibitio a mundo, (quam alteram partem injuriâ omisit Gravverus, auget enim absurditatem sententiæ illius) ad eam sic respondet, thesi 61. *Ratio admodum elumbis: ὑστερολογίαν in sacris usitatam eße suprà monuimus. Mar: 14. 23, & 24. alteram cœnæ dominicæ partem Evangelista hoc ordine describit: accepto poculo cùm gratias egißet, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. Et dixit eis, Hoc est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur,* Thes: 62. *Si quis hîc rigidè & morosè ordinem contextus urgere voluerit, is contendet, discipulos priùs bibiße, antequam Christus illos bibere jußerit, vel saltem significârit, quid bibere debuerint, quod falsum eße apparet ex aliis Evangelistis. Matth: 26. 27, 28. Luc: 22. 20. ὑστερολογία aperta.* Thes: 63. *Quis ignorat, Paulum Rom: 13. 9. in enumeratione præceptorum legis Moralis sextum præceptum præponere quinto? an propterea Moses non rectè præceptum, Non occides, præposuit præcepto sexto? absit. Alia exempla occurrunt plura. Ratio itaque adversarii nulla.* En habes responsionem Gravveri integram, quæ, cujus sit ponderis, expendamus iterum. Quod suprà se de ὑστερολογίᾳ meminisse ait, id ex superiùs dictis intelliges: quæ nunc iterum affert, ea nulla pariter censenda sunt, quanquam ὑστερολογίαν interdum dari non negem. Nam locus ex Marco allatus non docet, aliquid fuisse, quoad ordinem, immutatum in prima cænæ dominicæ celebratione. Tam enim in Marco legitur, quòd primùm panem ederint, & deinde de calice biberint, ut in Matthæo & Luca: differentia autem in eo est (si modo aliqua est) quòd in Marco omissa sint Christi verba, quibus de calice bibere jussit, antequam illi biberent, quod ab ὑστερολογίᾳ longè differre puto jam constare. Locus verò Rô: 13. nihil etiam tale continet, quod ὑστερολογίας verum exemplum nominari possit. Aliud enim est id, quod alibi priori loco scriptum legitur, posteriori collocare: & aliud id, quod priùs factum est, ultimo loco ponere. Hæc enim verè est rerum inversio, ubi natura rei & sensus communis per se docet, ordinem esse inversum, ut si quis dicatur, prius fuisse prædicatus, & addatur, fidem ei esse adhibitam, & postea demum addatur, eum esse receptum, in cælum nempe, cui simile suprà etiam ex Ioanne ostensum fuit, nempe Christum priùs fuisse in mundo, & omnia ferè egisse, quæ ad munus illius pertinebant, deinde verò natum fuisse. At nulla talis causa dari potest, quare sit absurdum, id, quod

Natura ὑστερολογίας.

id, quod in lege quinto loco dicitur, ab Apoſtolo ſexto loco collocari, licet, ſine cauſa id in lege factum non eſſe, jure dici poſſit. Illud non perſtringo, quòd Gravverus quintum præceptum id ſtatuit, quod ſextum eſt. Hic enim communis error Lutheranorum eſt, quem quia defendere quàm agnoſcere & corrigere malunt hactenus, hoc ipſo pertinaciam ſuam produnt.

Non erat autem, cur nobis inſultaret, & illuderet tandem Gravverus, qui ſcilicet diverſum a Franciſco Davidis ſentiamus, fraterculos nos illius appellando. Nam nec fraterculi ſumus Franciſci Davidis. is enim Ieſu Chriſti adorationem & invocationem negabat: nec etiamſi in loco aliquo explicando a nobis diſſentiat frater noſter, propterea id verum erit, quod Gravverus affirmat. Nam in talibus, quæ per ſe fidem in Chriſtum non tollunt, concedi libertatem ſententiarum, jampridem omnes viri cordati agnoverunt.

Sed nondum eſt finis argumentorum pro Incarnatione. Habet enim adhuc Gravverus locum Act: 20., in quo affirmatur, quòd Deus Eccleſiam acquiſiverit per proprium ſanguinem. Quem quidem locum Gravverus de Chriſto accipiendum eſſe contendit: nos verò, de Deo Patre eum intelligi poſſe, credimus. Cujus (ut Socinus ait) dicitur is eſſe ſanguis, quem Chriſtus effudit, eâ figurâ ſermonis, & ob eam cauſam, propter quam dicitur apud prophetam, eum, qui tangit Dei populum, ipſius Dei pupillam tangere. Quo ſenſu etiam ea verba apud eundem prophetam, *Videbunt in quem transfixerunt*, de Deo Patre dicta, ad Chriſtum lanceâ in cruce transfixum accommodantur, quod etiam Iohannes Toſarius Aquilovicanus in paraphraſi ſua ſuper hunc locum eleganter docuit. Summa enim & perfectiſſima alioqui inter Deum Patrem & Chriſtum conjunctio, etiamſi utriusque eſſentia neceſſariò ſit diverſa, efficit, ut Chriſti ſanguis, ipſius Dei Patris ſanguis, appellari queat, præſertim cùm, ut pro nobis fuſus fuit, conſideratur. Eſt enim Chriſtus Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, & conſequenter ſanguis hujus agni, in hunc finem effuſus, ipſius Dei ſanguis meritò dici poteſt: non quaſi ipſe Deus hunc ſanguinem in ſeipſo habuerit, ſed quia illum ſingulari ratione, ſicut & Agnum ipſum poſſiderit, atq; ut rem ſuam, unà cum ipſo agno, pro noſtris peccatis expiandis dederit. Et hunc eſſe poſſe horum verborum ſenſum, magnus etiã ille Eraſmus vidit. Quibus nunc illud addo, quòd alibi etiam ſpiritus & corpora fidelium dicuntur eſſe Dei, inter quos tamen & Deum nullo modo tanta eſt conjunctio, quanta eſt inter Chriſtum & Deum Patrem. Sed præter hæc omnia, Syriaca lectio, loco *Dei*, habet *Chriſti*, unde colligi jure poteſt, aliquam ab initio ex- 1 Cor: 6. ℣ 20.

 emplarium

emplarium differentiam fuisse, & vel hanc vocem, vel aliam ei simi-lem extitisse in quibusdam saltem exemplaribus, quod etiam Beza confirmat, dum ait, *in quinq; exemplaribus legi, Domini & Dei*. Quod si admittatur, jam nemo non videt, de Domino, qui est Iesus Christus, propriè id dictum esse, de Deo verò impropriè, ut etiam alibi legimus, Iohannem precari gratiam & pacem a Deo propriè & a septem spiritibus impropriè. Hæc & alia similia nos ad hunc locum explicandum afferimus. Sic enim statuimus, præstare figuratum loquendi modum admittere, quàm, rem tam absurdam, in sanctissimam Christi religionẽ inducere, qualis esset, quòd Deus ille unus sanguinem proprium habuerit. Gravverus verò ad refutationem horum accessurus, animum explere primùm voluit, dum Ostorodum docet, mendacem oportere esse memorem. Quæ quàm sit digna Gravvero oratio, judicent pii & eruditi. Equidem, etiamsi aliqua esset inter Socinum & Ostorodum opinionum differentia, non tamen ideo mendacem dici meruisse, virum bene doctum & pium existimo. Mendax enim est, qui datâ operâ mendacio dicendo studet, & id constanter facit. Sed præterea nulla est vera, inter ea, quæ Socinus dicit & Ostorodus, differentia. Nam dum Ostorodus ait, Deum Patrem nec sanguinem habere nec effundere potuisse, non negat, sanguinem Christi, sanguinem Dei certo modo appellari potuisse, quod contendit Socinus, idem enim prorsus sentit: sed Deum, sanguinem non habere credit, nempe in seipso, ut Socinus, addiderat, quæ verba si addidisset Ostorodus, idem quod Socinus, quoad verba etiam, dixisset. Vnde quàm fœdè lapsus sit Gravverus, rectiùs etiam constare puto. Sed omissis castigationibus Gravveri, refutationem illius videamus.

Primùm ait thes: 72. *Quis non videt in ratione Ostorodi Elenchum causæ committi, si figura illa in loco Act: 20. militare debet?* Equidem quid hîc dicat Gravverus non intelligo. Hoc autem moneo, Elenchum causæ inter Elenchos Aristotelis non numerari, sed Elenchum non causæ ut causæ: eum verò, qui sic nominatur, hîc nullo modo commissum esse, quod doctioribus judicandum relinquo.

Deinde thes: 73. *negat, id in hoc loco Act: 20. valere, quod alibi valere concedit, ut scilicet* (quemadmodum ipse loquitur) *principalior vel superior pars per certum respectum ea ad se transferat, quæ inferiori parti accidunt, propterea quòd* προσδιορισμὸς *enunciationis Paulinæ hanc interpretationem non admittat, idque ideo quod*, ut thes: 74. ait, *non per nudam* σχέσιν *hîc Deo sanguis tribuatur, sed proprius sanguis: nullibi autem in sacra scriptura Deo Patri proprius sanguis tribuatur, multò minus alibi dici, quòd Deus Pater proprio sanguine redemerit ec-*

clesiam. & tandem ait: *Monstrent adversarii, si poterunt, unicum locum, & hunc præsentem ita accipiendum esse concedemus.* ad marginem verò bis illud suum *Nota Bene* asscripsit. Vnde apparet, magni hæc esse apud Grawerum momenti. Ego verò conatum Graweri irritum esse dico. Nã vox ἴδιος Græca, Latinè idem sæpe significat, quod *suus*, atq; adeo nulla major vis est in vocabulo *proprius*, quàm esset in vocabulo *suus*. Exẽpla non affero, quia nimis ista omnib⁹ sunt nota. Non extare autem in sacra scriptura talem locutionẽ, non tanti momenti est aut esse debet, ut propterea sensus a nobis monstratus repudiari debeat. Non omnium enim locutionum dari instantias, tum ipsa docet ratio, tum etiam Philosophi doctissimi comprobant. Satis autem est, modos loquendi similes extare, quibus hic excusari possit: & analogiam universæ religionis non contradicere ei sensui, qui ex eo elicitur, quod utrumque hîc apparere, paulò antè docuimus.

Quæ deinceps thesi 76, 77, 78. differit, ea cum his quæ modò refutavimus, prorsus eadem sunt. Thesi enim 76. ait: *Quando verò Christus dicitur Dei agnus, alia est ratio: facilè quivis intelligit aliam notari personam, nec propterea sanguis agni proprius Dei sanguis dici poterit.* Sed quis non videt eodem modo dici posse sanguinem Christi sanguinem Dei, quo ipse Agnus Dei esse dicitur? Thes: 77. ait, *alibi legi, Christum per proprium sanguinem ingressum esse in sacrarium, & nos sanguine suo lavare à peccatis, & Christum esse qui ecclesiam morte sua sibi acquisierit.* Ad quæ respondeo: Locos illos, in quibus propriè dicitur Christum per suum sanguinem nos redemisse, lavasse a peccatis & populũ suum acquisivisse, non posse efficere, quominùs possit dici alibi impropriè, Deum per sanguinem suum nos acquisivisse. Quid enim impedit, quò minus id, quod alibi dicitur propriè, semel dicatur impropriè, præsertim si res ipsa & loci circumstantiæ facilè unumquemque docere possint, non posse aliter verba intelligi, ut hîc fieri videmus. Vocabulum enim *Dei*, subjecti locum hîc tenet. Nullo autem sacrarum literarum loco doceri potest, vocem *Dei*, quando subjecti locum tenet, de Christo absque omni controversia prædicari vel semel: cùm contrà millies de Deo Patre certissimè & extra omnem controversiam prædicetur. Quæ ratio quandiu stat, (stabit autem perpetuò) cogit omnino, ut verba ista figuratè accipiantur. Addo, quòd ex eo ipso, quòd alibi non rarò Christo sanguis tribuatur, colligi possit, cùm semel sanguis Deo tribuitur, id impropriè dici, quod aliter se haberet, si crebrò de Deo id dictum reperiretur.

Iam verò collectionem Graweri expendamus, quæ talis est thesi 79.

si 79: Is proculdubio nomine Deus *in loco Act: 20. 28. intelligitur, cui aliàs in S. literis expreßè tribuitur prædicatū, hoc est, qui proprio sanguine ingreßus sacrarium, æternam redemtionem adeptus, nos seu Ecclesiam sibi acquisivit; non autem is, cui prædicatum illud aliàs nullibi tribuitur. Atqui Christus est ille & non Deus Pater, ut jam ostensum. Ergò* &c. Sed quàm sit infirma ista argumentatio, jam antè etiam diximus. Nulla scilicet est consequentiæ firmitudo. potest enim id, quòd alibi tribuitur Christo propriè & communiter, impropriè semel certam ob causam tribui Deo Patri. Quemadmodum redemtio nostri tribuitur plerumque Christo, & tamen nonnunquam etiam ipsi Deo Patri, ut Luc: 1, 68. 2. Pet: 2. 1.

Addit porrò thes: 80. *Non vrgebo hac vice, quòd, quoties Scriptura istum loquendi modum usurpat, quo ea, quæ vel inferiori accidunt, per respectum quendam in superiorem redundant, vel quæ eveniunt uni amico, ob certam conjunctionem in alterum redundant, toties id ex circumstantiis textus, vel similium ac cognatorum locorum colligi potest: hîc autem prorsus nullum appareat vestigium.* Sed duo sunt, quæ hîc desiderari possunt. 1. est, quòd Gravverus, quales in aliis hujusmodi loquendi modis circumstantiæ appareant, non expresserit. Facilè enim apparuisset, tales vel similes in loco hoc Act: 20. etiam dari. 2. est, quòd, etiamsi non appareant tales in hoc loco circumstantiæ, vel similes loci, non tamen inde sequatur, sensum loci eum non esse, quem afferimus. possunt enim aliæ esse causæ, cur sensus ille verus sit, præter textus circumstantias & locos similes, ut antè ostendimus.

Thes: 81. ait, *Syriacam lectionem suam sententiam stabilire. Quia enim, ait, loco Dei habet vocem, Christus, indicat nomine Deus in loco Act: 20. non Patrem sed Christum intelligi debere.* At Syrus interpres non explicationem scripsit, sed translationem. Vnde necesse est, illum non tantùm sensisse, per Deum intelligi Christum, sed loco ejus, quòd alia exemplaria habent, Dei, legisse in aliis exemplaribus, Christum, vel aliquid simile. Quod paulo antè Bezæ etiam autoritate confirmavi ampliùs. Ad Erasmi consensum nihil respondet Gravverus, & tamen ejus autoritas nec minima est, nec suspecta in hac re. Quid enim, præter ipsam veritatem tantum virum compellere potuit, ut eundem, quem nos, sensum in hoc loco amplecteretur? Certè unius Erasmi sententia, qui literis sacris evolvendis & pensitandis totus fuit deditus, multorum, qui alienâ quasi vitulâ arant, & paratis utuntur, sententiæ, jure opponi posse videtur. Sed hæc prudenti lectori commissa sunto, qui, an salva & inconcussa stet Gravveri de incarnatione sententia, ex his, quæ modò dicta sunt, pariter etiam judicet.

De Erasmo

Merc-

Merebantur etiam applausores poëtæ aliquam castigationem. Nimis enim liberè in nos involant, sui amantes: sed malo eos uno verbo fraternè admonere, ne, quod argumentis effici nequit, audaculis dicteriis effectum velint. Sartam tectam volumus religionem & salutem nostram, de modo, quo utraque conservanda sit, disceptamus. Rapiant arma, qui Ecclesiis Christi præfecti sunt: certemus argumentis: triumphum ante victoriam non cantemus, vincat ipsa veritas: Domino sit gloria, nobis autem confusio: Iuvemus alii alios, ut salutis istius æternæ omnes fiamus participes. Hoc verò faxit, IESUS CHRISTUS Dominus noster, quem omnes, licet diversa de illo sentiamus, colimus & adoramus.